



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

17. De contritione quæstio vnica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

Ad secundam dicitur, quod stylus literarum apostolicarum continet quidem modum suffragii, sed non tantum: quoniam continet cum hoc autoritativam concessionem indulgentie. Et per ambo monstrat & autoritatem dispensandi, & modum suffragii in perveniendo ad animas in purgatorio.

Ad tertiam dicitur, quod hæc potestas satis habetur ex sacra scriptura, dum ex ea habentur claves Petri: & ex conditrice canonum Romana ecclesia explicarum est, quod modis diversis claves aperit regnum cælorum Christi membris vivis & defunctis, ut patet ex dictis Augusti die 15. Octob. 1518.

TRACTATUS DECIMVSSEPTIMUS de Contritione, unica quaestione contentus.

QVAESTIO I.

Num quando quis sui peccati mortalis recordatur, teneatur habere de eo contritionem.



Variatur, utrum quoties recordatur quis sui peccati mortalis, teneatur habere contritionem. Et est ratio dubii tum, quia partem affirmatiuam multi tenere videntur ex verbis S. Tho. in 4. dist. 17. q. 13. ar. 1. q. 4. dicentis: Ad contritionem tenetur homo quia peccata memorie occurrunt, quum præcipue in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo.

Tum quia sicut quoties occurrit peccatum mortale ut a se committendum, tenetur homo refutare commissum, ita quoties ut a se commissum tenetur illud deicere.

Tum quia nec per momentum licitum est stare in peccato mortali: ac per hoc statim ut occurrit tenetur illud fugere: iuxta illud ecclesiastici 12. Quasi a facie colubri fuge peccata.

In oppositum autem est. Tum quia sequeretur, quod quoties (seu que aliquis & de commissio peccato occurrente sibi attenderet, peccaret mortaliter; quia non haberet contritionem. Tum quia efficax ratio non apparet præcepti ad contritionem pro tali tempore, scilicet memorie peccati.

Ad evidentiam huius dubitationis præmittendum est quod non est hic quod de peccato mortali semel contrito, quum hoc iam deletum prima contritione est: & sicut peccatum semel rite confessum non tenetur homo iterum confiteri, eadem ratione de peccato semel contrito non tenetur homo iterum conteri. Non enim indicat Deus bis in idipsum (ut dicitur Naum primò) tamen quo ad vindictam exteriori, quam per confessorum exercet, quam quo ad vindictam interiori, quam per actum ipsius poenitentis conterendo peccatum, exercet; sicut facit enim semel contritio, quod non placeant sibi commissiva se peccata. Et hoc siue contritio fuerit de aliquo mortali siue in generali: dummodo fuerit contritio illa sufficiens ad salutem usque ad tempus confessionis, quum singula detestando in confessione conteritur in speciali. Est autem contritio generalis sufficiens ad salutem ad confessionem, illa, qua homo dolens de omnibus offensis Dei mutat liberare cor ad proponendum Deum omnibus et proprie vite, intendens congruo tempore confiteri. Et est sermo de contritione ipsius peccati secundum se, non secundum suum effectum; qui est retardatio a felicitate, ratione cuius totum tempus presentis vite est tempus contritionis: quia tempus peccati occupatum irreparabile effectum est per felicitate. nec est hic quod de contritione in veritate, hoc est dolore charitate informato, quoniam,

quum nemo sciat utrum amore, vel odio dignus sit, si exigeretur certitudo vera contritionis, semper esset homo perplexus, aut nunquam cessaret obligatio contritionis, quod est falsum. Sed est questio de contritione quantum est ex parte poenitentis, hoc est quod quantum est ex parte conditionem requisitarum ad contritionem ex parte poenitentis est vera contritio quis nesciatur, an sit charitate informata: quia nescitur presentia charitatis. Et similiter est questio de peccato mortali a se commissio nunquam contrito, siue secundum veritatem, siue secundum estimationem.

Quibus præmissis sciendum est, præceptum habende contritionis & esse per se primò affirmatiuum & claudere in se præceptum negatiuum. Nam præcipit actum contritionis habendum, & per hoc est affirmatiuum, & præcipit non esse retinendum odium Dei, in quod ex peccato mortali incurritur, & per hoc est præceptum negatiuum. Et propterea primò tractandum est de vinculo eius, quatenus est affirmatiuum, & deinde quatenus est negatiuum, & demum quatenus est ex utroque mixtum. Præceptorum igitur affirmatiuorum natura quum sit obligare quidem semper, sed non ad semper, sed ad determinatum tempus, hoc est tempus necessitatis (ut Dicitur Tho. in 4. sent. dist. 17. q. 3. ar. 1. q. 4.) consequens est ut præceptum de contritione habenda non obliget nisi ad tempus vrgens ad contritionem, quod constat esse tempus tam mortis (quia summa est tunc necessitas contritionis: quoniam non remanet amplius tempus poenitendi) quam tempus ante sacramenti cuiusque susceptionem, aut administrationem; quum nisi tunc esset contritus, mortaliter peccaret suscipiens sacramentum, aut exercens actum, quem sine peccato mortali oportet exercere. Tempus autem occursum, quia in memorie occurrit commissum peccatum etiam practice (puta ut detestandum, seu conterendum) nulla apparet ratione esse tempus necessitatis; quum cum tali occursum stat hominem se habere circa commissum peccatum neutraliter, ac si non meminisset, ac si dormiret. Nam occurrente peccato commissio, ut materia detestationis habenda a me, possum tripliciter me habere, vel consentiendo in detestatione, vel aspernando detestationem, vel nec amplectendo, nec contemnendo: sed vel nullum actum voluntatis circa illam exercendo: & tunc est semper neuter, vel habendo actu velleitatis circa illam, puta quia vellem habere contritionem, quamvis in veritate non velim, quia non intendo abstinere, &c. Si occurreret ergo memoria non necessitat hominem ad articulum aliquem, quo oporteat ipsum actum aliquem exercere (quo pacto ipsius necessitatis constituit & si ratione præceptorum affirmatiuorum perspexerimus, apparebit occursum non constituit ipsius necessitatis: nam in præcepto Baptismi quum membris memorie occurrat Baptismus, ut suscipiendus cum commoditate oblata, non propterea obligatio fit pro tunc ad Baptisum. Et similiter in præcepto confessionis, & in præcepto elemosynæ de superfluo, non tenetur quis tunc confiteri, aut elemosynam dare, quando memorie occurrit cum commoditate parata, ut patet ibidem ex Dicitur Tho. Si ergo in aliis affirmatiuis præceptis occursum exercendi actus commode, non constituit necessitatis tempus, consequens est, ut nec in præcepto contritionis habende occursum peccati, ut conterendi constituat tempus necessitatis. Oportet enim oppositum dicentem rationem reddere, quare a contritione regulam occurrentis actus, & materia eum reliquis paratis in præceptis

affirmatiuis excipiatur occurrens contritionis cum sua materia actus: vt, scilicet ipse solus habeat vim constitutiua[m] temporis vrgentis ad seipsum exercendum, reliquis hanc vim non habentibus. Et quia nulla apparet exceptionis ratio, sequamur generalem regulam communem huic & aliis preceptis affirmatiuis. Negatiua vero precepta obligant semper & ad semper: prohibent enim mala, quae nullatenus committenda aut incurrenda sunt. Et licet omnia negatiua precepta conueniant in obligatione ad semper, quo ad esse illicitum: differentia tamen quaedam inter ipsa precepta extenso precepti nomine est in obligatione ad semper quo ad actum peccati. Nam negatiua precepta de actibus peccatorum obligant ad semper non solum quo ad esse illicitum, sed etiam quo ad actum peccati: quia prohibent actum peccati, puta mendacium, adulterium, blasphemiam & similia: quae non solum sunt illicita, sed quae ad sunt peccati actus committitur. Nullus enim transgreditur precepta haec, non mentieris, non adulterabis, non blasphemabis, nisi qui mentis, adulterat aut blasphemat actu exteriori, vel saltem interiori. Negatiua autem precepta de habituali statu peccati obligant secundum se ad semper solum quo ad esse illicitum, & non quo ad actum peccati, quia non prohibent actum peccati, sed perseverantiam in statu peccati talis vel simpliciter. Preceptum autem, verbi gratia, de non retinendo alienum inuito Domino, dupliciter intelligi potest, primo, de detentione habituali, qui non est actus, sed effectus peccati, & sic non est preceptum prohibens actum aliquem, quod patet ex eo, quod quod abstulit etiam si dormiat, retinet alienum inuito Domino: sed prohibet perseverantiam in statu peccati talis. Similiter & preceptum de non retinendo habitualiter odium erga Deum, non prohibet aliquem actum, puta actum odii diuini, sed supposito, quod homo peccando mortaliter odio habuerit Deum, ac per hoc perseveret usque ad contritionem in statu diuini odii non solum passivae, quia altissimum odio habet peccatores, sed quod peius est, actiuae, quia perseverat in statu peccati mortalis includens in se diuini odium per contrarietatem ad dilectionem charitatis, prohibet perseverantiam in statu peccati mortali simpliciter: quo fit, vt quia statibus, sicut habitibus, non meremur, nec demeremur, sed actibus. Nullum novum peccatum contra hoc negatiuum preceptum incurrat, nisi status talis de nouo acceptetur, puta si de nouo consentiatur in perseverantiam talis status. Secundo, de detentione actuali, quae nihil aliud est, quam consensus efficax in detentionem habituale[m], seu quae est effectus peccati, & sic preceptum est prohibens actum peccati, & constat quod obligati semper & ad semper, sicut reliqua negatiua, & sic proprie habet vim & nomen precepti, quoniam precepta proprie de actibus sunt. Discutiendo vero preceptum contritionis, vt mixtum est affirmatiuum & negatiuum sicut preceptum de restitutione, inuenimus, quod obligat ad statim habendam contritionem, sicut preceptum de restitutione obligat ad statim restituendum. Et ratio est, quia tempus huiusmodi actuum dilatum annexam habet contrarietatem ad virtutem. Restitutio enim dilata annexam habet retentionem alieni inuito Domino, quae contrariatur iustitiae, & similiter contritio dilata annexam habet retentionem diuini odii, quae contrariatur charitati. Nec propterea huiusmodi mixta precepta exorbitant a communi regula preceptorum affirmatiuorum, sed sequuntur eam obligando tamen ad tempus necessitatis, nam implicatio inhibet contrarietatis ad virtutem, determinat

tempus necessitatis ad statim: tempus quippe necessitatis exercendae affirmationis est tempus ad actionem illam vrgens, sic quod nisi fiat, incurritur peccatum. Sicut igitur preceptum de restitutione propter implicitam detentionem alieni obligat ad statim restituendum: ita preceptum de contritione propter implicitam detentionem odii contra Deum obligat ad statim coterendum. Et haec, proculdubio, est veritas.

Sed exurgit difficultas, quando peccatur contra hoc preceptum. Dicere enim, vt prima facie apparet, quod contra precepta affirmatiua obligantia ad statim peccatur statim (puta consummato iurto, si non statim fiat restitutio, peccatur contra preceptum restitutionis, omittendo statim restituere: & similiter consummato peccato mortali, agitur contra preceptum contritionis, si non statim contritio habetur) irrationabile videtur: quia huiusmodi precepta obligant ad singula statim, & non ad primum statim tantum, vt patet ex eo, quod transacto primo, statim, non absoluitur a vinculo precepti, sed remanet semper obligatus ad statim, donec adimpleat preceptum. Si autem obligant ad singula statim, sequitur quod infinites peccat mortaliter, non restituendo qui furatus est, & non restituit statim, iuxta infinitas moras temporis intermedium inter furtum & restitutionem, si tandem fit. Magis autem rationi consentaneum est, vt contra huiusmodi precepta tunc solum peccetur ex praeteritione temporis, quando non solum omittitur, sed committitur actus peccati determinantis preceptum affirmatiuum ad statim.

Pro cuius clariori notitia aduertendum est, quod tripliciter inuenitur concurrere tempus vrgens ad exercitium precepti affirmatiui. Primum, vt actus illius mensura simpliciter & absolute, sicut tempus diei festi determinat preceptum de audiendo Missam, & Quadragesima ieiunij preceptum. Secundum, vt actus illius mensura ex preparatione ad alium: sicut tempus praecedens susceptionem, vel administrationem sacramenti determinat preceptum contritionis: non enim tempus illud vrget absolute ad conterendum, sed si suscipiendum, aut administrandum est sacramentum. Tertium, vt actus illius mensura ex connexione alterius actus: sicut tempus significatum per ly statim, determinat preceptum restitutionis, quia actus differendi restitutionem habet annexum actum voluntariae detentionis alieni interim. Inter haec autem tempora differentia vna ad propositum inuenitur, quod si tempus vrget ad actum, vt illius mensura absolute, adueniente illo tempore, si omittitur actus, ita quod omisio vt voluntaria priuare (quia scilicet potuit, & sciuit exercere actum illum puta audire Missam, & non audiuit) incurritur peccatum omissionis contra preceptum illud. Si vero tempus vrget ad actum, vt mensura illius ex ordine ad alterum actum, adueniente quocumque tempore, nisi ille alter actus, propter quem tempus vrget exerceatur, non fit contra preceptum: quantumcumque enim aliquis sit administraturus sacramentum nisi ministraret illud, aut proponat administrare illud in contritione, nunquam agit propterea contra preceptum contritionis, vt patet. Et simili modo eadem ratione quantumcumque aliquis non conteratur statim nisi ad hoc deueniat quod commissio peccato incurrat detentionem diuini odii, non peccat mortaliter quamuis perseveret in statu peccati mortalis: sicut qui non statim restituit, nisi ad hoc deueniat, quod commissio peccato incurrat detentionem alieni, non peccat de

de nouo mortaliter. Contra præcepta namque hæc de non retinendo odium Dei, vel alienum, quum sint negatiua, commissionis peccato oportet præcipi, ac per hoc si propterea peccatur contra præcepta affirmatiua de restituendo vel conterendo: quia contra hæc negatiua agitur, non est omisio affirmatiua, nisi admissio puta negatiuum. Et hæc absque omni scrupulo veritas amplectenda est.

In his autem patet quid dicendum sit ad moram questionem principalē, patet namque quod præceptum contritionis non determinatur secundum se ad tempus memoriae, sed ad statim, et propterea nisi memoria afferat urgentem causam ad actum actualis detentionis odii Dei, non occurrit noua omisio contritionis, sed antiqua perseverat. Nulla autem apparet ratio, quare memoria, aut occurrit commissio peccati ut detestandi, constituat nunc tempus necessarium commissionis ad detinendum odium Dei magis, quam si non occurreret, nisi forte aut ad diuinam inspirationis sequelam dicatur occursum obligare, sed aliud est præceptum de sequela inspirationis diuine, aliud de restitutionis aut contritionis tempore, aut occursum seu memoriam tanquam approprians materiam constituere de tempore agendi, quia tempus agendi est, quum materia est præsentis: sed aliud est loqui de necessitate agendi, aliud de commoditate, seu congruitate agendi. Approximatio. n. ad agens liberum, non constituit tempus necessitatis, sed commoditatis ad agendum; nos autem, ut patet ex dictis, tempus necessitatis agendi, ita quod nisi agatur, nouum peccatum incurritur, querimus. Unde restat, ut recordatio peccati commissi, quantumcumque que practica, non obliget ad contritionem, sicut nec in præceptis aliis occurrit materia obligat ad actum. Et hoc loquendo de memoria in se, nam si sit sermo de memoria secundum suum effectum quem ut in pluribus habet, quia scilicet parit aut detestationem, aut approbationem peccati commissi occurrentis, sic obligat ad detestationem, quæ tamen potest esse attritio, vel contritio, ne in approbatione lapsus fiat.

Ad primam autem obiectionem in oppositum dicitur, quod vox dicentium, quod homo tenetur confiteri quum recordatur, verificatur in id quod ut in pluribus videtur accidere, quod scilicet cõter practica memoria in nõ dolente parere approbationem videtur Diui autem Thome verba si exacte libentur, non dñt hominem teneri ad contritionem quum recordatur, sed vnum quum, determinat per alteram quum. Nam dicunt, quando peccata memoriae occurrunt, quum in periculo mortis existit, aut aliquo articulo ubi apparet quod tempus memoriae determinatur per tempus periculi mortis, vel per tempus alicuius articuli, &c. Nec obstat quod apponitur, ly præcipue, quoniam ly præcipue, principale denotat periculum mortis respectu alterius partis distinctiua, scilicet aut alicuius articuli, &c. periculosius enim omittitur contritio in periculo mortis, quia non restat locus poenitentia. Vel ly præcipue denotat principalitatem rationis obligatiua ad contritionem, ita quod tempus memoriae est quedam ratio conterendi, sed quia nõ est sufficiens ratio obligandi ad conterendum, ideo additur principalis ratio obligandi, dicendo quum præcipue periculum, aut articulus, &c. & redit eadem conclusio. Approbat autem hanc doctrinam communis peccatorum attritio, quia farentur sibi displicere commissi peccata, & dicunt suam culpam, & confitentur quandoque citra absolutionem, & velocitatem habent status sine peccato. Hi enim actus

A boni sunt & dispositiui ad penitentiam, adeo ut ecclesia tales confessiones suscipiendas dicit, extra de poen. & re. quod quidem, & tamen semper peccarent mortaliter, o mittendo contritionem, si tempus memoriae, esset tempus contritionis quum isti actus non sint sine memoria peccatorum. Nec obstat, quod isti contriti nolunt suscipere ab absolutionem, dicentes se esse impenitentes, quoniam narrare se habituali voluntate esse perseverantem in statu peccati, non est peccatum, quoniam non approbatur, sed narratur impenitentia, nec proponit tunc mereretur peccare, sed narrat tunc miseriam status sui cum voluntate illius. Nolle autem absolui, actus bonus est in disposito tunc ad absolutionem.

B Ad secundam obiectionem dicitur, quod etiam quando peccatum occurrit, ut committendum, sufficit nõ consentire, nec tenetur homo dissentire.

Ad tertiam dicitur, quod licet nunquam sit licitum stare in statu peccati, nõ tamen de nouo semper peccat perseverans in statu peccati, ut patet ex dictis. Romæ, 4. Martii. 15 18.

TRACTATUS DECIMVS OCTAVVS.
de confessione, in quinque questionibus diuisus.

S Y M M A R I V M.

- 1 Num confessurus peccata sua, id potissimum debeat cogitare, quid faceret, si non esset præceptum confitendi, an etiam uellet confiteri, & exinde iudicare cor suum.
- 2 Num presumptionis sit confiteri omnia uenialia et mortalia.
- 3 Num circumstantia diei festi sit necessario confitenda.
- 4 Num fides ad fructuosam absolutionem necessaria sit.
- 5 Num sacramentalis absolutionis effectus sit remissio culpæ.

Q V A E S T I O I.

Num confessurus peccata sua, id potissimum debeat cogitare, quid faceret, si non esset præceptum confitendi, an etiam uellet, & exinde iudicare cor suum.



TRVVM confessurus peccata sua id potissimum debeat cogitare, quid faceret si non esset præceptum confitendi, an etiam uellet confiteri, & exinde iudicare cor suum. Et uidetur quod sic, quia nisi paratus sit confiteri secluso præcepto, tñ non ex amore nouæ uitæ, sed ex timore præcepti confiteretur.

E Ad euidenciam huius considerandū est, quod actuum humanorum eligibilium duplex est differentia. Quidam. n. in se boni sunt, & ideo eligibiles, ut diligere Deum, bene facere proximo, & alia huiusmodi. Quidam vero sunt propter aliud boni, & similiter propter aliud eligibiles, ut ieiunare, peregrinari, & huiusmodi, hæc enim nullus sane mentis eligeret, nisi propter aliud puta mentis eleuationem, carnis donationem, diuinum cultum & huiusmodi. Actus autem iste de quo est questio, scilicet proponere sibi ipsi quid faceret, si non esset præceptum de confessione, constat quod non est sub primo genere bonorum. Tum quia actus iste ad malum & bonum est secundum se, est enim uia ad bonum si ad uoluntatem bonam terminatur, & est uia ad malum

Opusc. Caiet. K 4 malum